7. Heinsio.

Clarissime Heinsi (39)

Quamquam de nucleo respondes, cum ego de putamine rogarim et Satyra nostra argumentum vellicas, cum ego de Misogamia minus, quam de carmine sollicitus essem, facis nihilominus rem gratam, dum in Commentariolo nostro (ut videtur) commendatione diffusior, obliviscaris quodammodo tui, et parcius illud agis, quod agere te optassem. effari nimirum quid in Satyrâ praestitisse videremur. Nisi tamen silentium recipere pro sententia jubes, et tacitè praetermittis quae absque molestiâ nostrâ non videris posse attingere. Placet inventum, et ex Rhetorum praeceptis modesta captio. Et vel sic satisfactum mihi credebam, nisi Parens institisset, et quo magis ἀξιόχρεως respondere moneareris, superingerere hanc Eclogam jussisset. Non possum hujus indignationem effugere, nisi tuam denuò elicio. Sed, ut scis, gerendus mos est. Unde te rogo ne hanc saltem culpam reliquo nomini ascribas, sed extra codicem sit, quod nunc peccamus. Eclogae argumentum haud libens aperuerim, neque operae pretium sit obtrudi te privatis molestiis alienum. Sufficiet credere nihil hic minus quam amatorem agi, neque eo dementiae venisse nos, ut si ineptire per juventutem licet, tanti hanc insaniam putemus, ut chartis illiniri debeat. Quod scire te interest sub Thyrsidis personâ ipsus ego, sub Moeridos Mauritius Frater latet. Quam nomine Sylvandri designemus, et ipsum nomen et periphrasis docebit. Unde etiam intelliges exarata haec nobis per occasionem itineris Anglicani, cui nunc secundò accingi nos scivisses, si per Encaenia vestra et fidem auri gratum licuisset, qui primas illas ad te non detulerant. De Legatione ad Illum Regem propediem instruendâ nonte latet. Scite igitur oblatum rursus idem nobis munus esse, quo in legatione Venetâ functi sumus. Unde jam toti in illo sumus, et (nisi pudor est fateri) jamdiu Patriam desideravimus, quam avidè gestimus. Faxit Deus ut ex nostro et Reipublicae imprimis bono. Vale Vir Summe, et si me amas, aliquid per otium super Poëmatis nostris regere, quandoquidem plusculos menses ab his molestiis nostris immunes polliceris. Hagae Comitis 7°. Cal. Novembris 1620.

T. D. studiosissimus

C. Hugenius.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 2r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/94